

118

116

122

112

127

107

167

067

217

017

Ende

Anfang

103

Jerosolymitani ibi hospitentur. In honestum enim judicant, quod peregrini tam sanctae peregrinationis habitent in publicis hospitiis et quod in tanta civitate non habeant proprium locum nisi loca publica. Nam apud eos hospitia publica sunt in honesta, ideo quando ad eos veniunt magnates, assignant eis proprias domus, ne in hospitiis maneant. Suas etiam popinas, quas hospitibus magnis de communitate offerunt, invitissime ad hospitia publica mittunt, et si mittunt, exiguae et minus honestas mittunt. Dictum enim fuit Dominis meis, quando fuit de civitate popinatum, quod si essent in alio loco, quam in hospito publico, Domini Veneti saepius popinas mitterent, (40A) et liberalius agerent. Et idcirco locum illum aedificant sumptuose, ut honorabiles peregrini ibi habitent et honorentur ab eis. Inde de S. Antonio navigavimus in galēam nostram, quae de S. Marco fuerat prope S. Antonium educta, et invenimus in ea multos laboratores, navem cum transitis et remis et malis et aliis requisitis coaptantes, et arenam inducentes. Quod ut vidimus, gavisi sumus sperantes nos citius recesuros.

Vicesima secunda die navigavimus ad ecclesiam, quae dicitur ad Apostolos, ibique divina audivimus. Post Missam ostenderunt nobis corpus S. Mariae Virginis, de qua in Vitis Patrum clara habetur mentio: in prima parte (p. 49. b.) Post prandium iterum in galēam navigavimus educentes in eam aliquas capsas et cistas ad cumbas nostras. Navigavimus etiam ad locum maximarum navium, in quas ingressi, vidimus digna admiratione, quomodo aqua tam gravissima pondera possit portare et tam ingentes structuras.

Vicesima tertia die navigavimus ad ecclesiam S. Jeremie, et post Missam corpus S. Magni Episcopi fuit nobis ostensum, qui fuit primus antistes civitatis venetiana. Et inde ad monasterium S. Mariae, quod dicitur Virginum, venimus et multas sanctorum reliquias ibi vidimus, et alias capellas illo die multas lustravimus, quarum nomina transeo.

Vicesima quarta die, quae est translatio B. Domini, navigavimus ad S. Dominicum ad fratres Praedicatorum, et ibi divino Officio interfuius, et inde transivimus ad S. Annam prope; ibi etiam multae reliquia sunt nobis ostensae. In reditu navigavimus ad S. Mariam de vinea, ubi fratres minores de observantia

